

SCHEFFERUS, JOHANNES

Joannis Schefferi Argentoratensis
Breviarium politicorum Aristotelis cui
accedit ejusdem consilium de studiis in
philosophia practica & historia recte
instituenda. Upsaliæ, typis & sumtibus
Joh. Henr.

1715

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.




Kungl. Biblioteket
STOCKHOLM

Filos.

1700-1829

Ex. A

SCHEFFERUS, J.



(ordre ajout. le 1684)

JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS

BREVIARIUM
POLITICORUM
ARISTOTELIS

Cui accedit

Ejusdem Consilium de Studiis in
Philosophia Practica & Historia
recte instituenda.



UPSALIAE,

Typis & Sumtibus JOH. HENR. WERNERI,
Regii & Academiae Typographi
Anno clō 1000 xv.



LECTORI BENIVOLO

Salutem.


DE Breviariis, quae Graecis Synopses aut Epitoma, vulgo Compendia dicuntur, non prorsus quidem injusta doctorum hominum existunt querela; multos his ad instruendam alendamque inertiam abuti: & sic periisse libros praestantissime nota non paucos, dum & lectores, quorum utiq; plures refugiunt multa legendi laborem, vasta volumina, ut onera Aetnae Caucasove graviora reformidant; & librarii perdere in iis vires sumtusq; nolunt, quae propter alia vendibilia non facile inventura sint emtores. Caterum fas equumque non est, ut rei suum honorem pretiumve derogat abusus, quam & sibi & aliis eximium ad profectus majores attulisse momentum testata sunt saepius elegantia & polita ingenia. Non eo nimirum sine concinnantur isthaec, ut majorem operum amorem dominuant; sed ut augeant: non ut excutiant ea manibus adolescentum, sed ut ingerant imprimantque fortius, & animis etiam memoriaeque penitus infigant.

Crustula ceu cupido sistunt se grata palato,
Et trahit adficiens valdius ora sapor.

Nolo de re nota operose fieri. Oribasius certe Medicus Galenum integrum in summarium breve utiliter contraxit; quomodo & Aristotelem quidam e veteribus, plures e nostris particulatim in

Com-





Compendia misere. Imo nec piguit Theophrastum
(at quem virum!) Platonis de Republica libros
in Epitomen Laërtio memoratam redigere. Nec
tamen ita ad exempla horum aliorumque, ut Stu-
diosa Juventutis ad utilitatem commodumque se
composuit Vir Celeberrimus, & omnibus qui serio
bonas literas colunt aut tuentur, nunc quoque post
beatam mortem apprime amarus, JOANNES
SCHEFFERUS ARGENTORATENSIS, cum Ari-
stotelis quos habemus de Republica libros, brevi
hoc quod vides Enchiridio complecteretur. Nam
cum nullum Civilis doctrinæ Systema praeferret huic
summi acutissimique Philosophi, quodque hic vel
inprimis debet spectari, viventis in regno & aulâ
Philippi Macedonis Amyntæ F. cujus jussu in spem
tantam Alexandrum formabat, quanta postea ab-
unde respondisse cognitus est: vidit tamen adole-
scentibus à se privatim non aequè commode præle-
gi posse istud opus, ita diffusum uti nunc habetur
in libris. Erant autem magnis Heroibus progeni-
ti quidam eorum, qui se Illi politicis doctrinis im-
buendos tradiderant. Præter ea memoria horum
breviore Summario rectius consuli posse putabat;
seriemque rerum & connexionem ostendi facilli-
me, quam convellere tentabant viri quidam do-
ctissimi; visi deprehendisse nimium multas lacunu-
las, & sensus pendentes atque incompletos. Ille
labi eos in hoc censebat, brevitatis Aristotelicæ non
satis in hoc memores. Nec negavit tamen ali-
quam multa periisse, aliqua etiam corrupta esse

fatebatur; qua Criticis notis emendatum ibat, a-
 lias forsitan edendis. Et hæc sunt quæ nescire
 te in præsens nolui, Lector candidè. Nam cum
 illis nunc quidem contentionis ferram reciprocare
 non vacat, qui non Aristotelis modo libros, sed
 & omnino quicquid est hujus generis, quasi orti-
 forum hominum tricas & apinas igni condemnant.
 Satis hos refutant omnes ævi verè prudentes: imo
 & ipsi contra se testes insurgunt, cum utuntur
 traditis ab antiquo Lyceo aut Academiâ artibus;
 sive ab Historicis in exemplis adumbratas, sive ab
 aliis Politicis vel majoribus natu, vel equalibus,
 perceptas habent. Verum de his operosius alii.
 Tu vale, benigne Lector, & si videtur, utere
 presentibus.

J. COLUMBUS.



JOANNIS SCHEFFERI
BREVIARIUM
POLITICORUM
ARISTOTELIS.

DANIELIS HEINSII
De PRIMO LIBRO, ejusque
ARGUMENTUM.

De librorum Primo, non eodem modo omnes sentiunt. Nonnulli enim alienum à Politicorum opere arbitrantur. Qui, ut ipso statim primi capituli initio, in quo de disciplinae sine, tum eodem capite, ubi de tractandi ratione agit, qua hic utitur, ab ipso satis refutantur. Ut qui se composita, ad ea usque, quae non amplius sunt talia, hic distincturum profiteatur, hoc est, ut in Physicis & aliis nonnullis: sic & in Politicorum libris ab initialibus, ac simplicissimis principiis, seu, primis civitatis partibus, inchoaturum. Porro, praeter ea, quae ad disciplinae commendationem spectant, quae duobus primis continentur, & hunc librum huic inter reliqua adjudicant: ceterorum libri hujus capitulum, tres maxime sunt partes. Quarum prima de Domestica societate, ejusque speciebus, & praecipue Herili, agit: cum qua Conjugalis ac Paterna, hanc Domestica constituit. Quae cum latius diffundi cepit, major nascitur, quae Civitas vocatur. De Herili ergo hinc, qua occasione, quaestio praecleara; sintne Servi à natura, an naturae omnis Servitus repugnet, maximo judicio tractatur. Pars secunda, Rationem acquirendi, quae, ut in Domestica societate oritur; ita in Majori, id est in Republica, quemadmodum in Oeconomicis Philosophi docetur, locum habet, fufius

persequitur. Tertia ac postrema, de postrema specie Domesticae Societatis, Coniugali, nempe, ac Paterna, agit. Qua eadem, partim de imperio Mariti, partim Coniugis ac Liberorum munere ac officio, differitur, Ut & de Servorum aliquid, sed hac occasione.

C. I.

OMnem boni alicujus gratia institui societatem, manifestum. Cum vero alia sint praestantiores aliis, praestantissimam reliquarum, praestantissimi quoque boni gratia oportet esse institutam. Est autem praestantissima, quae civitas vocatur, quoniam ad hanc referuntur reliquae, quare praestantissimi summive boni causa erit instituta. Id porro bonum qua in re consistat, & quomodo, si sequamur ductum rationis, obtineri debeat, in Ethicis monstratum est. At quoniam paucissimi hoc faciunt, Civitatis opus est imperio, cuius huc trahantur vi ac potestate. Caeterum de eo quaeritur nunc in Politicis, quo se habere modo debeat, ut perficere hoc possit, & ad scopum suum Civitas perducatur. Vulgo sufficere existimant, si regatur, sicut domus. Sed hoc falsum esse liquet, quia domus pars est Civitatis, atque ita neque finem eundem, neque gubernandi potestatem habere rationem. Quid, quod ne ipsius do-

mus

mus quidem regimen eodem modo sese habeat, propter partes diversissimas, ex quibus est composita, earumque fines. Prima certè, quam instituit natura ipsa, viri ac mulieris consociatione oritur. At finis hujus, liberorum procreatio, mutuusque in familia regenda usus. Qua in re maritus uxorem non regit imperio absoluto, sed in quod consentit, hoc est, liberali, ac politico. Sequitur consociatio domini ac servi. Ejus finis expeditio eorum, quæ ad rem familiarem faciunt, id est, solam domini utilitatem. Qua in re dominus regit servum imperio absoluto, absque ullo ejus consensu, hoc est herili. Neque possunt hæc imperia inter se confundi, ut non simul vis naturæ afferatur. Coniunguntur porro hæc imperia in domo, quotidianarum vitæ necessitatum gratia, qui finis verus domus, plurimum à civitatis fine diversus. Quin imo inter domum Civitatemque alia societates, quarum alii sunt fines; ut domorum plurium, quæ vicus seu platea dicitur, & vicorum, quæ vocatur pagus. Quæ ut ipsæ etiam ad necessitates vitæ pertinent, sic non quotidianis, ut prædicta, sed quocunque modo contingentibus occurrunt. Tum demum

II.

A 4

Civitas

Civitas existit, cujus scopus non conservatio generis, nec necessitatum vitæ sublevatio, sed, ut antea dictum, summa illius perfectio. Atque quoniam societates omnes referuntur ad societatem Civitatis, sequitur & Hominem, qui eas colit, istuc referri, & sic esse animal cum Sociale, tum Civile. Maxime cum habeat sermonem, quo indicare aliis cogitata mentis potest, & rationem, qua justa ab injustis discernere. quarum rerum non est usus extra Consociationem. Sequitur id quoque, Civitatem esse reliquis Societatibus natura priorem, cum ceu partes ad eam, ut totum suum, referantur.

III. Diximus non posse Civitatem regi, sicut domum, maxime cum in domo regatur & servus, cujus regimen adeo à regimine Civitatis est diversum, ut existiment, ipsi etiam adversari naturæ, cum sint servi facti non natura, sed per vim, ac institutum quoddam humanum. Sed si domus natura esse absque re familiari, hæc vero haberi tractarive nisi aptis instrumentis nequeat, instrumenta porro, expedire voluntatem domini non possint, nisi animata quædam sint ac intelligentia, sequitur & talia esse facta à natura. Jam vero hæc non alia, quam servi,

servi, qui proinde instrumenta erunt domini ad ejus rem familiarem pertinentia, inque usum ejus facta, totaque juri ejus subjecta. Maxime cum parere atque imperare non adversum sit naturæ, imo potius necessarium, cum per ea conserventur omnia, ut ex ipsa rerum patet natura, in qua deteriora parent melioribus, corpus e. g. animæ, cupiditates rationi, neque aliter subsistunt. Quare quoque inter homines, qui se habent ut instrumenta ad artificem, corpusve ad animam, hos necesse est parere, id est natura esse servos. Unde etiam natura ipsa, ut est provida, his corpora robusta dedit, dominis non item, ut qui usu necessaria intelligunt ipsi, expedire vero per infirmitatem nequeunt, illorum opera efficiant. Neque vero, qui ab instituto hominum sunt servi, contra naturam plane facti, cum ex pacto sint, id est, jure, quod deteriorem meliori subjicit: quales saltem bellicæ intuitu virtutis, sunt victores. Quamquam cum & bella quaedam sint injusta, & qui multis aliis superiores sunt virtutibus, casu aliquando subigantur, servi quidam tales sint injuste. Unde neque servi proprie loquendo sunt, licet ita nominentur.

Adeo

IV.

V. Adeo natura ipsa imperium Civile ab herili distinxit, cujus omnis ars est posita tantum in seruo rectè utendo. Ceterum cum servus naturalis domini sit instrumentum, quæritur qua ergo ratione? Et apparet arte herili œconomicaque illud fieri non posse, verum arte quærendæ rei familiaris, cujus ipse pars est. Nempe res familiaris est vel naturalis, vel artificialis. Illa est in victu, amictu, ministeriis, quibus ista comparantur; hæc in nummis. Victus, cæteraque vel naturali quæruntur ratione, vel per artem. Naturalis ratio non est eadem, quia neque ista uniusmodi. Inde quæruntur alii per pecuariam, alii per agriculturam, alii per venationem, quam instituunt adversus animalia, eaque vel bruta, ut piscationem, aucupium, vel ratione prædita, ut latrocinium & bellum. Nam & hanc natura venationem permisit, quando homines ad serviendum ab ipsa, sicut bruta, facti, ministerium suum detrectant. Et hæc ratio naturalis, qua si servire sua sponte nolint, servus naturalis comparatur.

VI. Artificialis ratio in permutatione consistit, cum res præter naturalem suum usum eo adhibetur, ut permutetur cum alia.

Quæ

Quæ naturæ tamen non repugnat, cum non omnia omnibus concesserit. Usus hujus maximè est inter vicinos, qui cum ne ipsi quidem cuncta semper habeant nobis necessaria, instituta permutatio est rei cum pecunia, quæ non à natura, sed ingenio humano facta, & firmata lege. servit iis, qui sunt longius disjuncti. Inde vita mercatoria, cujus finis, conglobare nummos. Qui nummi licet videantur constituere divitias, tamen id diutius non faciunt, quam legi visum. Et tamen parantur vulgo strenuè, sæpeque: in infinitum, quia fere vivere ac bene vivere in infinitum cupiunt, & propterea & in infinitum habere alimenta, cæteraque quæ ad voluptatem pertinent. Caterum, VII. cum ars quærendæ rei familiaris sit necessaria arti regendæ domus, eidem medicina necessaria videtur, cum non viventem, sed valentem etiam necesse sit familiam habere. Ac profecto curat valetudinem, sed præbendo victum salutarem. Quod si valetudo fuerit amissa, potius medicinæ utitur ministerio. Sicut autem naturalis ars quærendæ rei est laudabilis, permutatioes quoque propter indigentiam commendandæ; ita quoque solius nummi causa

causa instituta, reprehendenda potius, praesertim foenori incumbens; quippe, quae naturae tota est adversa, quando quaerit nummum, qui est factus eo fine, ut per ipsum acquiramus alia. Maxime cum reliquae sufficiant, observatis regulis, quae, quomodo instituantur recte, demonstrant, sicuti exemplis veterum abunde intelligitur. Quia vero videmus, quo pacto servum comparet, quo item imperio regat, Dominus, dispiciamus, an uxorem quoque, tali liberisve imperio gubernet. Atque de uxore quidem antea dictum, quod imperio regatur non herili, sed civili. Nam cum sit imperium Civile, quod in liberos est homines, atque sic aequales mutuae utilitatis gratia, uxorque sit & libera, & marito hactenus aequalis, liquet civili imperio regendam. Quia tamen non per omnia aequalis, cum natura sit praestantior maritus, iccirco ipse semper imperat, non per vices, sicut fit in imperio perfecte Civili, quando penitus inter se sunt aequales. Liberis autem pater imperat Regio imperio, quoniam iis multo est superior cum aetate, tum virtutibus, praetereaque nec suam respicit utilitatem, sed amorem tantum liberorum. Caterum imperia
haec

Hæc omnia eo spectant, ut suum quisque possit facere officium per convenientes sibi virtutes, quæ non sunt eadem. Etenim, ut in marito respectu intellectus vis deliberandi maxima requiritur; ita sufficit in uxore mediocris, in liberis imperfecta, in servo nulla. Et ut respectu morum ad expedienda negotia, in viro postulatur promptitudo; sic in femina taciturnitas, in servo temperantia & sedulitas, & quæ alia expediendo muneris cuique propius necessaria. Quale quid & in opificibus spectatur, sint licet illi propriè non servi. Debent autem ista cuncta excoli pro ratione Republicæ in qua versantur, uti alias liquebit.

ARGUMENTUM
LIBRI SECUNDI.

Secundo libro, qui Politicorum propriè est primus, omnes nobilissima illius temporis excutuntur Respublicæ. Duæ autem ejus sunt partes. Quarum Prior, quatuor prioribus tractatur capitibus. Quibus utramque Platonis civitatem, tum quæ decem de Republica libris, tum quæ & duodecim de Legibus, sic vulgo dictis, continetur, examinat Philosophus. Pars Secunda, quinque sequentibus tractatur, quibus quinque aliæ examinantur. Quarum tres re ipsa constitutæ; Spartana, Cretensis, ac Carthaginensis: duæ tantum ab auctoribus conscriptæ; Phalææ nimirum, Chalcedonii, & Hippodami Milesii. Quibus nonnullorum

lorum apud veteres legum latorum; Solonis, nempe
Zaleuci, Charondæ, Onomacriti, Philolai, Platonis,
Draconis, Pittaci, & Andromantis, annectitur catalogus.

- C. I.** **C**um ergo Civitates regi nequeant,
ut domus, & tamen nisi optimè
regantur, suum consequi propositum
haud valeant, iccirco quale regimen
id sit, nunc cogitandum. Possunt au-
tem ante jam videri tradidisse Philo-
sophi, imò legumlatores & præstan-
tiores Respublicæ ipso suo docuisse
exemplo. Atque ex Philosophis Plato
quidem hoc putabat fieri, si redderen-
tur omnia communia; ita enim cives
minimè futuros esse discordes, Civita-
temque maximè uniri. Verum cum
natura ejus constat ex diversis, si diver-
sitas tollatur ista, omniaque fiant u-
num, interire ipsam necesse est, ut si
parent omnes, omnesve imperarent,
nec habere ea, quæ ad sufficientiam
rerum pertinent ac requiruntur. Pro-
II. pterea & nec communione ista civitas
uniri debet. Etenim si de rebus omni-
bus in civitate omnes collective sum-
pti dicerent, nec recte dicerent, cum,
hoc est nostrum, dicere deberent, nec
tali casu meum & tuum tollerent, quod
Plato volebat: Sin vero idem dicerent
distributive

distributive sumpti, mentirentur, cum
 & aliorum sit, a quibus sine motu sumi
 nequit. Atque in conjugibus ac liberis
 palam hoc non procedit; nam &
 amorem minuit, & tollit curam, &
 turbat cognationes, & gignit discor-
 dias, ob similitudinem sui, quam in
 his illisve liberis quis deprehendit, & ad
 incestus invitat, à natura ipsa vetitos.
 Adde quod communio ejusmodi mi-
 nus inconueniens videri queat in agri-
 colis, de qua nihil Plato: rejectio ve-
 ro liberorum ex custodibus natorum,
 in agricolarum classem pariat quere-
 las. Bonorum vero communio quoad
 non usum rerum modo, verum etiam
 res ipsas, neutrum non efficiet: quo-
 niam & cives sunt agricolæ apud Pla-
 tonem, qui se querebuntur laborare
 plus, quam alios in rem ad victum per-
 tinentem, maximè cum vivere com-
 muniter debeant cum cæteris, qua in
 vita etiam levissimis ex causis oriuntur
 rixæ. Quare melius ut res sint propriæ
 cuique; usus solum communis, sic enim
 curabuntur studiosius, & ob usum con-
 cessum amicitia inibuntur. Cum com-
 munio Platonica tollat justitiam & libe-
 ralitatem, pluraque mala habeat, quam
 bona, ut de aliis vitiis Reip. ab ipso de-
 scriptæ

III.

- IV. scriptæ taceamus. Qualia & in libris de legibus occurrunt, ubi Reipubi. nimum attribuit numerum otiosorum, vicinos negligit, agrum, nec tamen liberorum numerum definit, potestatem nimiam augendi res mobiles concedit, nullam agri, Rempub. ipsam ex duabus pessimis componit, cum velit esse optimam.
- V. Phaleas hoc idem fieri putabat per æqualitatem civium, quam exigebat, maximè in rebus immobilibus. Quæ æqualitas ut non prorsus contemnenda; ita Phaleæ institutis obtineri nequit, quia eam omisit cæteris in rebus, neque iusto modo definiuit, neque quomodo cupiditates simul exerceri debeant in omnibus, ostendit. Insigniores vero affecit injuria æquando ipsos ignavis, neque voluptatum desideria, vel dominationis studium repressit, nec pericula externa submovit.
- VI. Hippodamus bene plurima instituit. At dum agricolis demit arma, opificibus agros quoque omnes militum, fecit servos. Dum agricolis agrum dedit privatum, amisit publicum. Dum tertium ordinem in judiciis, nec absolventium, nec condemnantium constituit, arbitros fecit ex iudicibus & confusionem in sententiis præbuit. Dum decrevit

decrevit illi præmium, qui quid invenisset novi, novationes in Remp. induxit. Quæ, ut non sunt repudiandæ, quia fere imperfecta vetera, & rudia, & temporibus, ob mutatas circumstantias, minus apta: sic non permittendæ temere, ne suspectæ fiant leges, & auctoritatem suam amittant. Ex Rebuspublicis, maximè Lacedæmoniorum à Lycurgo instituta celebratur. Sed in ea, pravè habet institutio servorum, quos Helotas nominant, & nimia mulierum licentia, & potestas donandi legandive agros, prolisque nimium studium, per privilegia ob copiam liberorum. Ephorum etiam electio ex egenis, eorumque nimia potestas, & dignitas Regia generi tributa, non virtuti, & relata omnia tantum ad bellum, ærariam denique publicum neglectum. Sequitur Cretensis ordinata à Minoë, unde sua pleraque Lycurgus sumisit, unde in non paucis illi Lacedæmoniorum similis, in quibusdam etiam deterior, ut quod Cosmi sint certarum, familiarum, quod nec ipsi, nec senatores reddere teneantur rationes, quod sint perpetui, & jus ex arbitrio solo dicant. Ut duraverit tam diu, non ob constitutionem bonam, verum aliis de

B causis.

VII.

VIII.

- IX. caussis. Melior Carthaginensium fuit. Nam & Magistratus, & Reges in ea eligebantur ex optimis quibusque civitatis. Id tamen vitiosum habuit, quod contra institutum legislatoris in Oligarchiam simul ac Democratiam inclinavit, dum & plebi potestas data rescindendi Regum & senatus dissentientium sententias, & Magistratus electi cum respectu simul ad Censum. Hinc venales facti honores, virtus neglecta, divitiarum nimis appetitum, largitiones inductarum, civitas tota corrupta. Etiam illud pravum fuit, quod uni pluram committere munia solerent.
- X. Optima Respublica Atheniensium, praesertim uti a Solone fuit instituta. Nam licet factis judiciis ex omnibus, nimis auxisse potestatem videatur multitudinis, & occasionem praebuisse Demagogis; tamen casu potius hoc evenit, inolefcente multitudine ob victorias a Persis. Sunt & aliarum Respublicarum non obscurarum, ac earum Legislatores, ut Locrorum Zaleucus, Italicorum Charondas, Corinthiorum Philotas. Dracon etiam & Pittacus, & Andromaches laudantur; sed ad dignitatem praecedentium non pertingunt.

ARGUMENTUM LIB. III.

Tres præcipuæ sunt hujus libri partes. In quo (postquam hæctenus de Civitatis partibus in primo, de diversis aliorum Rebuspublicis, actum est in secundo, ubi has examinavit,) suam de hac sermo instituenda exponere incipit sententiam. Primâ autem agitur de Civitate & Cive. quod subjectum est doctrinæ hujus & materies. Alterâ, de ejus forma, quæ Respublica vocatur; scopo item, speciebus, differentiis ac definitione. Postremâ denique de singulis illius formis ac generibus (quæ disputatio ad librum usque septimum extenditur) tractare incipit. Eam autem inchoat à Regno. Quæ est antiquissima & prima ejus forma.

Quando igitur apparet, Reipublicæ **C. I.**
nullius regimen sic esse comparatum, ut oportet; iccirco nunc videndum, quomodo institui oporteat. Quod ut rectè fiat, primum ipsa res noscenda, in qua regimen debet esse. Hæc autem non est alia, quam Civitas; quæ cum civium sit multitudo, ante omnia, quid verè civis sit dispiciendum. Observandum verò quosdam sic improprie vocari; sicut eos, quibus quoddam civitatis jus est datum, licet alias sint peregrini, item inquilinos, impuberes, decrepitos, proscriptos. Quosdam proprie, illosque solos, qui ad magistratum, cujus solius est deliberare atque judicare, admittuntur. Quamquam etiam hi magis cives sint mi-

nusque, pro diversitate rerump. definitioque propriissime in statu Democratico procedat, cum in ea istiusmodi potestas indeterminata sit in civibus, in cæteris determinata, pro eorum forma. Quod autem eos tantum cives quidam putant, qui ex civibus sunt nati, errant; quia sic, qui Civitatem condiderunt, cives non fuissent. Sed nec, qui jure cives facti, cives tantum sunt, aliquando illi quoque, qui injuria, ut à tyrannis, modo eadem maneat civitas, quoniam sic egisse videtur, quod per magistratum egit suum, qualemcunque.

- II. Manet autem eadem Civitas, non cum idem manet locus, aut iidem homines, sed quamdiu eandem servant formam. Hac sublata, cæteris etiam manentibus, fit alia, uti ex iisdem choribus fit nunc tragicus, nunc comicus.
- III. Cæterum cum Civitas dicatur egisse, quod per magistratum, qui est civis præcipuus, licet ille sit injustus, egit; quæritur, an civis possit dici, qui injustus est, atque utrum non, ut aliquis sit civis bonus, virtutem simul debeat habere boni viri. Observandum ergo, quod quemadmodum in nave diversæ sunt nautarum virtutes ad conservationem navis; ita in Civitate civium;
- ad

ad conservationem civitatis. At verò viri boni una tantum virtus est, quæ complectitur perfectam honestatem. Adde, quod ne Civitates quidem omnes sint eadem, quædam quoque vitiosæ, ubi virtus viri boni nullum habet locum, & tamen in eis boni cives, à quibus conservantur. Non igitur necesse, ut ubique cives omnes, viri etiam sint boni, vel propter munerum diversitatem. Magistratum tamen, quo sit bonus, bonum etiam oportet esse virum, sicut & prudentem, cum in civibus sufficiat, ut de magistratu legibusque bonam habeat opinionem. Diximus eum verè esse civem, qui est particeps potestatis judicandi & deliberandi. Inde dubium, quo nomine opifices venire debeant, qui, licet eis civitas carere nequeat, ab ea potestate tamen fere excluduntur. Et profecto constat, cives in Republica optima esse non posse; in aliqua tamen posse, ut quæ censum respicit aut libertatem, licet ubique per arcanum quoddam cives appellentur. Constat ergo qui sint cives, videamus quomodo sint ordinandi, ut ex iis fiat aliqua Respublica. Nam Respublica nil aliud, quam ordo civium maximè quoad summum imperium,

perium, penes eam civitatis constitu-
tum partem, quæ auctoritatem habet
maximam. Inde forma Civitatum
dicitur; quare, ut possimus intelligere
diversitatem, ex herili paternoque ob-
servare imperio debemus, duplices re-
gendi esse formas, alias cum civium,
alias cum imperantium utilitas atten-
ditur. Illas esse rectas, quia isto modo
liberis hominibus imperari ipsa præci-
pit natura, quales esse cives debent,
has vero pravas, quoniam repugnant
naturæ, liberosque homines servos fa-
ciunt. Sunt autem & in rectis formis
modo unus, modo pauci, modo omnes,
qui imperant. Quando primum fit,
Regnum esse dicitur, cum secundum,
Aristocratia, quando tertium, Politia,
quæ rarissima, nisi ubi bellica est vir-
tus. Idem fit in pravis; unde Tyrani-
nis, quando unus, Oligarchia, quan-
do pauci, Democratia, quando multi-
tudo dominatur. Quamquam in his
pravis neque paucitas Oligarchiam fa-
ciat, sed respectus ad divitias, neque
multitudo Democratiam, sed respectus
ad paupertatem libertatemque, cum
paupertate ac divitiis tantum distin-
guantur. Quod autem divites ad se
trahant imperium, id eo fit, quia sibi,
ut

ut divitiis superioribus, putant jure superioritatem deberi. Quod vero pauperes, quia sibi, ut æqualibus ob libertatem, putant deberi æqualitatem. Qui tamen jus prætendant aliquod, id tamen negligunt, quod est verum, positum in eo, ut ex civitatis tantum, quisque capiat imperio, quantum tribuit ad verum ejus finem. Qui non est pecunia, nec vita, virtusque aut securitas, aut libertas, aut communio loci legumve, sed beatitudo. Cum tamen VII.
sint in civitate divites & pauperes, boni & mali, quæritur cui ergo debeat ex iis imperium illius committi. Nam, si pauperibus, metus est, ne ad se trahant bona divitum & Civitatis, discordias excitent, & civitatem sic evertant. Si divitibus, ne injuriis & contumacia lædant pauperes. Si bonis solis, ne cæteri negligi se conquerantur, odioque habeant præsentem statum. Idem fore, citiusque videtur, si uni, licet optimo. Dicat forte aliquis committendum legi. Sed & hæc favere his illisve solet, aut certà ab hujusmodi exponi. Quare optimè committetur toti populo, quoniam præstabit paucis bonis, unove optimo. Et judicabit rectius, modo non sit planè belluinus.

belluinus. Atque plebi quidem rectè
 iudicia & deliberationes permittentur,
 melioribus admixtis & prudentioribus,
 rectè reddentur rationes, rectè magi-
 stratum electio tribuetur, maximè si
 VIII. bonas observabit leges. At vero
 magistratus illis, qui Civitatis procu-
 rare finem, honestatem scilicet, cum
 utilitate communi optimè intelligunt:
 non illis, qui præstant uno aliquo tan-
 tum bono, ut robore, nobilitate, divi-
 tiis, libertate; quia non est justum, ut
 qui uno tantum est superior, simpliciter
 sit superior, nemoque non sic possit
 aliquid prætere, unde causæ quere-
 larum, motuum & mutationum. De-
 nique legislatori non ad partem, verum
 Civitatem totam est respiciendum cum
 in optima rep. parere atque imperare
 IX. omnes debeant. Quid, si unus aliqui-
 ve emineant supra omnes virtute? Ta-
 les cives esse nequeunt, quoniam in-
 iuria afficerentur, si soli non regnarent;
 nec teneri debent legibus, cum sint ipsi
 legum instar. Ideo in pravis rebus publ.
 ejiciuntur Ostracismo. Sed nec facile
 feruntur in bonis, sicut nec in statua-
 pars enormis, licet formosissima, verum
 agitur cum ipsis, uti sua sponte disce-
 dant. Quamquam rectius caveatur
 legibus, ne quis ita possit eminere, vel
 si

si casu hoc evenerit, retineatur, & imperium ejus subeatur, quia Regnum horum quavis forma erit præstabilius. Horum regnum dixi, quia plures sunt regnorum species: Barbaricum seu herile, quod hæreditate justa est quæsitum, usurpatum quoque in volentes, potestate vero tyrannicum. Æsymneticum seu tyrannis electiva, cum ultro offertur ob necessitatem summam republ. de cætero fere temporarium, & simile priori. Heroicum, concessum uni posterisque ejus ob eximia in civitatem beneficia; certarum tamen rerum, ut administrandi belli, sacrorum, judiciorum. Laconicum denique quod consistit in unica belli gerendi præfectura, & sacrorum nonnullorum. Est & Pambasilia, quando unus omnium in civitate optimus potestatem habet nullis legibus adstrictam, atque eam partis instar exercet. De quo genere, cum Laconicum etiam in aliis esse possit rebuspublicis, cætera minora sint, disquiri potest, quia prætulisse supra formis aliis videmur, num sit melius, quam si legibus optimis republ. regatur. Atque liquet, cum non possint singuli curare leges, præterea quid aliquando præter eas exigant, leges
 contra

X.

XI.

contra motus animi coërceant, factu-
 rum rectè Regem quamvis optimum,
 si nec latas leges negligat, nec eis
 se simpliciter subjiciat in omnibus.
 Quamquam forte melius, cum plures
 fere rectius deliberent ac judicent, dif-
 ficiliusque animi à perturbationibus
 corrumpentur, ut & de singularibus
 decernat populus, quam unus licet o-
 ptimus, fiatque Politia. Verum quid,
 si plures simul sint eximii? Rectius resp.
 his committetur, instituta Aristocra-
 tia, quam vel uni optimo, quia cum
 sint boni, inter se non dissidebunt, nec
 imperium per hæreditatem facient de-
 volvi ad natos, quod in Regno fieri
 consuevit. Regna tamen instituta,
 ante formas cæteras, quoniam non
 multi erant boni tum, aut alioquin
 eminentes. Quæ deinde versa in Po-
 litiam Aristocratiamve, ob plures bo-
 nitate similes. Sed & ipsæ post muta-
 tæ in Oligarchiam & Tyrannidem, &
 Democratiam, deficiente virtute, cre-
 scente vero dominandi studio. donec
 res veniret ad Pambasiliam, sollenni
 XII. quadam circumactione. Quamquam
 dubitent nonnulli, an Pambasiliam sit
 conveniens naturæ, quoniam cum ci-
 ves debeant esse similes, per vices quo-
 que

que imperare ac parere ipsos oporteat, ordo quoque sit servandus, qui cum lex sit, hæc vero nullis obnoxia esse, debeat perturbationibus soleatque, sola rectè inter dissidentes judicabit. Adde, quod supra leges omnes evehi, etiam naturæ, possit nemo, neque unus cuncta providere, unde ipsi Reges tales sibi ministros assumunt ac amicos, qui quodammodo cum ipsis regere videntur. Sed omnino datur & Herile & Regium imperium conveniens naturæ, id est justum utileque; quod tametsi sit injustum in æquales, justum tamen est in inæquales, virtuteque inferiores, ac natura aptos, ut hac regantur ratione. Ubi ergo unus aliquis, aut aliqua familia sic cæteros virtute antecedit, omisso Ostracismo, rectè Pambasilia instituetur.

ARGUMENTUM LIB. IV.

Post excussas, eas Rerumpublicarum formas, quæ ut primæ inter ceteras, sic maximæ legitimæ habentur; Regno nempe & Optimatum statu: (quanquam pars ea, quæ de ista agit, hæctenus desideratur) reliquæ sequuntur. Quales sunt Tyrannis, Popularis & Paucorum status: quos hoc libro Quarto explicat Philosophus, Cujus tres sunt partes. Prima obiter exponit rationem, cur non cæ tantum formæ, quæ simpliciter legitimæ dicuntur, sed & reliquæ, quæ minus sunt tales, à Politico sint explicandæ. Secunda,

singulas,

singulas, quas ante dixi, formas, earumque differentias persequitur, ac præsertim ejus, quæ peculiari nomine Respublica vocatur. Tertia de tribus partibus, ex quibus omnis bene constituta consistit Respublica, distincte disserit. Senatu, nempe, Magistratu & Judiciis.

- C. I. **A**Tque ista quidem dicta sint de forma optima. Verum cum legislatoris sit dispicere, non modo quæ simpliciter sit talis, sed & quæ sit optima, quantum potest fieri, vel saltem populo huic sive illi optima; itemque quomodo quæ jam introducta, etiam non sit optima, optimè tamen constituetur; sicuti Gymnastæ Medicique faciunt, igitur non leges omnes omnibus in rebuspub. ferendæ, sed & in his servandum est discrimen. Differt autem Aristocratiæ & Regnum cæteris à formis, quod sint optimæ, quia veniunt ab eximia virtute. Regno opponitur Tyrannis, quæ est pessima. Aristocratiæ Oligarchia, quæ minus mala. Politicæ Democratia, quæ non maximè, ut censebat Plato, verum minime est mala, quia maximè observat mediocritatem. Sunt autem harum etiam formarum, quæ non optimæ, quædam species. Quarum causæ civium diversitates plurimæ specie differentium.
- Sunt

Sunt enim vel agricolæ pastoresque, vel opifices & manuarii, vel mercatores & numularii, vel milites vel divites, vel pauperes. Unde facit optimè, qui Resp. omnes dividit in rectas, unam pluresve, & reliquas omnes aberrantes. Atque Oligarchia quidem non simpliciter est ea, ubi pauci, verum ubi opulenti; Democratia, non ubi multi, verum ubi pauperes ingenui gubernant. Nam cum multæ civium sint differentia, ut dixi, patet maximè in duas classes dividi, opulentium & pauperum, cum nemo, sicut fit in aliis, simul dives esse queat atque pauper. Quamquam propter eam ipsam civium varietatem suas iterum quælibet habeat species. Est enim Democratia una, cum lex omnes, divites pauperesque facit æquales. Alia, cum attenditur census, exiguus licet. Alia, cum genus respicitur, ne sit maculatum. Alia, cum neglectis istis omnibus, admittuntur quilibet, ita tamen, ut observent leges. Ultima, cum fit idem, simulque suo arbitrio, absque lege regere permittuntur, qui est pessimus Democratia status in quo Demagogi oriuntur, qui tyrannicis utuntur institutis, & in Anarchiam rem convertunt. Similiter

IV.

V.

Oligar-

- Oligarchia una est, cum admittuntur ad rempublicam ex solo censu. Alia, quando solis opulentioribus potestas eligendi magistratus datur. Alia, quando solis filiis permittitur succedere parentibus. Alia, quando ditioribus omnia ex arbitrio, absque lege agere conceditur. quæ est pessima Democratia, & interdum Dynastia nominatur. Solent autem sæpe leges alterius, & gubernandi quoque ratio alterius esse formæ, imprimis post recentem status immutationem, ut de rerum forma, unicis ex legibus ferri iudicium non debeat. Est enim & in his legum quædam observatio, Democratiis inquam atque Oligarchiis, exceptis ultimis earum speciebus. Quamquam ea ferè major sit minorve, prout à speciebus dictis absunt longius aut brevius. Diximus Aristocratiam esse veram, in qua virtus sola respicitur. Solet tamen sic vocari ea etiam Resp. in qua cum virtute respicitur & census, vel absque censu genus seu libertas, vel & census & libertas, quæ postrema species etiam Politia dicitur. De qua dicendum aliquid ante Tyrannidem, quoniam Tyrannis pessima est forma. Est autem Politia, Oligarchiæ Democratiæque

tiaque aliqua mixtura. Quæ si in Democratiam inclinât, Politia, si in Oligarchiam, Aristocratia vulgo dicitur, quoniam & divites ob institutionis probitatem, & sufficientiam vivendi, boni vulgo præsumuntur. Quanquam Aristocratia vera non sit, ut quæ neque leges optimas, neque virtutem respiciat. Quæ si ipsa simul etiam attendat, Aristocratia mixta erit. Idem judicandum, si attendat etiam nobilitatem, cum nobilitas sit virtus, cum divitiis antiquis sociata. Cæterum mixturæ IX. hujus ratio est triplex: si judiciis pauperes divitesque simul adhibentur, his, compulsis pœna, illis invitatis præmio. Si ad deliberationes admittantur omnes, quorum census mediocris. Si electio magistratum fiat per suffragia, nullo census habito respectu. Quæ si misceantur ita, ut incertum sit, quis ex his sit status, bene se Politia habebit. Superest Tyrannis, cujus duæ species, X. regnum dico Barbaricum & Æsymneticum, supra memoratæ. Tertia, quæ propriè sic dicta, Monarchiæ directè opponitur, ea est, cum sine legibus imperatur paribus vel melioribus, iisque invitatis, commodo privato. Est autem, XI. ex his formis omnibus non plane bonis optima

optima Politia, propter mediocritatem, quæ in ea observatur, in virtute, opibus ipsoque statu, unde major amicitia, minorque alieni appetentia, minoresque turbæ, ac divisiones in partes.

Quanquam olim potius Oligarchiæ Democratiæve institutæ, vel ob paucitatem mediocrium, vel ob studia partium, quæ in hac rep. vel illa prævalebant. Danda vero opera in Politia constituenda, ut emineant, qui rep. volunt esse salvam, nec ad qualitatem solum civium, sed & quantitatem attendatur, hæcque duo bene temperentur, vel ea saltem maximè respiciatur forma, in quam maximè post mixtionem vergit, mediorum quoque ratio habeatur summa, divitibus ne nimis tribuatur, omnes exerceantur in armis, census denique saltem aliquis respiciatur.

XIII. Quanquam hic eludi pauperes, à divitibus fere consverint per aliqua sophismata, secundum illa quinque, in quibus maximè civitatis gubernatio consistit. Nam in deliberationibus, si admittantur omnes, solis divitibus constituunt pœnas. Si, qui profitentur nomen, absentiam eorum ingenti afficiunt pœna, sicque à professione ista pauperes absterrent In magistratibus, solos divites recusare illos

los ejurare ve non permittunt. In judiciis
 idem faciunt, quod in deliberationibus.
 In armis, solis imperant, ut ea habeant,
 divitibus. In exercitiis militaribus solis
 injungunt divitibus, ut se excolant. Idem
 fit à pauperibus contra divites, qui fere
 ista, contrario tamen modo, similiter
 observant. Tum autem optimè Politia
 se habebit, in qua ista inter se sophisma-
 ta miscentur. Ad quod pertinet, ut quid **XIV.**
 cuique statui sit proprium, diligenter
 teneatur. Ut e. g. Populari, omnes de
 Rep. deliberare, quod quomodo possit
 fieri, superius est dictum. Oligarchiæ
 vero, deliberare paucos, qua de re simi-
 liter est actum. Ubi tamen Democra-
 tiæ quidem conducet, si statuto paupe-
 ribus præmio, divitibus mulcta, delibe-
 rationibus interesse omnes cogantur, si
 æqualiter divites pauperesque creentur
 forte vel suffragio, si quando sordidio-
 res longè superant meliores, iis solum,
 qui ex sordidis sunt meliores, aut tan-
 tum non pluribus, quam parti adversæ
 præmia dentur. Oligarchiæ vero, si ex
 omnibus constituentur certi, qui de re-
 bus cunctis primum deliberent, deinde
 referant ad concionem, si omnes de-
 liberent, certe tantum aliqui decernant;
 si jus absolvendi habeat populus, con-
 demnandi

- XV. demnandi vero pauci. Observandum etiam Magistratus vocem non signare potestatem quamlibet aut praefecturam, uti sacerdotum praefectura est, & praconum, & legatorum, verum consultandi, judicandi, & praesertim imperandi facultatem. In qua salutare, unum uni rei praefici, & quidem semel tantum, aut post magnum intervallum, quando Civitas est magna. Quanquam variet haec observatio pro diversitate Rerump., negotiorum, & similium. Et quia Magistratus creant vel omnes, vel non omnes, creanturq; vel ex omnibus, vel ex certis, idque sorte vel suffragio, haecque multis modis misceantur, tenendum Democratiae convenientius censeretur, si omnes ex omnibus sorte vel electione; Politiae vero si ex non omnibus ab omnibus aut quibusdam sorte vel electione; Oligarchiae denique si ex omnibus sorte partim, partim electione; Aristocratiae autem, si quidam ex omnibus suffragio creentur. Judiciorum genera sunt octo; repetundarum, peculatus, de statu publico, de damno a magistratu vel privatis dato, de magnis privatorum contractibus, de homicidio, de peregrinis, de contractibus privatorum parvis. Et quia judicant vel omnes de omnibus

omnibus, idque vel sorte, vel suffragio, aut contra, tenendum est, quod sit Democraticum, si ex omnibus de omnibus, Oligarchicum, si ex quibusdam de omnibus, Aristocraticum & Politicum, si partim ex omnibus, partim ex quibusdam, iudices constituantur.

ARGUMENTUM LIBRI V.

Hactenus de constituendis Rebuspublicis actum est à Philosopho. Libro hoc, qui ordine est Quintus, dignitate autem reliquorum princeps; de earum conservatione agitur. Quâ occasione, de mutatione earum ac corruptione, earumque causis, agitur. Sunt autem partes libri, quatuor præcipue. Prima enim de mutationibus earum agit, quæ à pluribus, quam uno administrantur. Quarum causæ, tum communiter in omnibus, tum & proprie in singulis considerantur formis. Populæ, nempe, Optimatum, & Paucorum statu. Secunda, proprie de harum conservatione agitur. Sicut, Tertia, de causis conservationis ac mutationis ejus, quæ ab uno regitur. Quæ, si recta est bona, Regnum, si corrupta & vitiosa, Tyrannis nuncupatur. Postremo Platonica de mutationum causis rejicitur opinio.

DIximus huc usque quomodo constituendæ sint Resp. non quidem optimæ per se, respectu tamen quodam, & quia maximè sunt usitatæ, ne sint nimium malæ. Quæ tamen suo vitio non possunt esse perpetuæ, videamus, quas ob causas soleant mutari, quo deinde

cogitare de remediis queamus. Causæ autem omnes duplices existunt, internæ aliâ, aliâ externæ. Internarum generalis causa & origo, pravum est de eo, quod in civitate justum habetur, iudicium, quando alii æqualitatem, quia ipsi parte quadam cernunt sese aliis æquales, alii inæqualitatem, quia sese parte quadam inæquales cernunt, definiunt. Hinc enim quia pauci ubique boni, & Resp. pleræque justis hujus injustive respectu sunt vel Oligarchiæ, vel Democratiæ, diuturnæ esse nequeunt; quanquam ferè diuturnior sit Democratia. Modi generales, quibus hæ mutationes fiunt, duo sunt; unus qui statum Reipub. prorsus facit alium, alter, qui partem tantum ejus mutat. ut cum vel manente forma regimen tribuitur aliis, vel cum cæteris manentibus imperium laxatur aut restringitur, vel cum pars illius quædam abrogatur, novave instituitur. Speciales causæ triplices; una affectus seditiosorum pravi, ex pravo iudicio de civitatis iusto; altera, finis sive res pravæ, quas quærunt aut fugiunt, lucrum puta sive damnum; tertia, causæ specialissima seu prætextus, quorum septem sunt cum tumultu junctæ, contumelia, avaritia, ambitio, excellentia nimia, metus,

II.

tus, contemptus, incrementum nimium. Quatuor sine tumultu; vilitas magistratum, status præsentis averfatio, indeque incuria, rerum prævarum negligentia, diffimilitudo, indeque diffensio. Docent hæc Resp. Atheniensium, Rhodiorum, Thebanorum, Megarensium, aliorumque populorum. Accedit aliquando & quintus, loci nempe diffimilitudo. Maxima vero est inter bonos malosque diffensio, proxima inter divites & pauperes. Occasiones vero mutationum, res plerumque parvæ sunt, ut similitates procerum inter se, propter e. g. corruptum amasium, hæreditatem, malè divisam, nuptias non impetratas, aut contaminatas. Item ordinis unius incrementum, & partium contrariarum exæquatio, ubi medii sunt pauci. Modi quoque duplices, unus per vim, alter per artes callidas, qui tamen aliquando inter se miscentur. Sic Democratia mutatur in Oligarchiam, cum Demagogi viros bonos premunt calumniis: in Tyrannidem, cum iidem bellicosi sunt ac potentes: in pessimam Democratiam, cum vilissimis sorte datur magistratus, iisque leges nullæ præscribuntur. Oligarchia mutatur in Oligarchiam pessimam aut Democratiam, cum incuriosi sunt O-

III.

IV.

V.

VI.

C 3 ligar-

ligarchæ, cum alios æquè nobiles honoribus excludunt, cum ex suis quosdam metuunt, quasi gratos multitudini, cum luxui & prodigalitati se dedunt, cum Oligarchas plerumque excludunt, cum belli tempore diffidunt populo, aut pacis tempore ipsi sibi, cum ex suis aliquem afficiunt injuria, aut judicant acerbius, cum severè dominantur, cum census aliorum extra ipsos casu aliquo augetur.

VII. Aristocratia mixta & Politia mutantur in Oligarchiam, cum pauci ad se trahunt omnem potentiam: in Monarchiã, cum vir magnus, altoq; animo præditus injuria afficitur: in Tyrannidem, cum homo audax contemnitur, vel unus magnus alios omnes opprimit: in Democratiam vel Oligarchiam, cum pars civium nimis divites, pars nimis pauperes, aut alias mixtura temperata negligitur. Externa causa mutationum generalis est vis, quæ duplex, vel vicina, vel remota.

VIII. Conservantur autem Politia, si hil, ne in minimis quidem, fiat contra leges, sophismatibus contra plebem non nimis fidentur, magistratus abstineant injuria, etiam putata tantum, incutiantur crebro terrores, contentiones civium primorum impediuntur, census augeatur vel minuatur, pro diversitate opum publicarum.

blicarum. Oligarchiæ & Democratiæ, si nemo supra modum attollatur, aliterve sinatur vivere, quam permittit status reipub. si una prævalente parte, magistratus eligantur ex altera, si evehantur medii, si ex magistratu lucrum nemo faciat, & potius iis, qui rem bene gerunt, præmia decernantur. Democratiæ seorsum conservantur, si in ea bona divitum non spoliantur, ipsique ea impendere in res inanes non sinantur. Oligarchiæ si pauperum habeatur ratio, & fructuosa iis concedantur munia, injuriaque non afficiantur, hæreditates quoque cognationibus tribui jubeantur. Pertinet ad harum Rerumpub. conservationem quoque, si ad magistratus sumantur ii, qui amant maximè statum præsentem, & ad munus suum sunt idonei, & justitiam convenientem formæ suæ reip. diligenter observant. vel, quia hæc in uno vix concurrunt, id in quolibet si observetur, quod gerendo officio maximè necessarium, in cæteris custodiantur leges, & pars præsentem amans statum fiat potior, & mediocritas in omnibus servetur, & partes contrariæ ad amorem mutuum trahantur, & juvenus ad statum reip. rectè educetur. Regna mutantur fere, sicut Aristocra-

IX.

X.

tiæ, Tyrannides, sicut Oligarchiæ &
 Democratix, quia & reges ex virtute
 ac nobilitate fiunt, & Tyranni odio fe-
 re nobilitatis. Sunt & alias similes, cum
 ratione finis, tum ratione institutorum
 aliorum, Regnum Aristocratix, Tyran-
 nis, Oligarchiæ ac Democratix. Specia-
 tim vero Tyrannis mutatur vel ob con-
 tumeliam pudori factam, aut corpori,
 vel ob terrorem, unde odium, vel ob
 ignaviam Tyrannorum, aut familiarita-
 tem nimiam, vel ex lucri gloriæve stu-
 dio, unde contentus. Etiam ab exter-
 na causa mutatur, ut republ. vicina,
 obque contrarium statum æmula. Re-
 gnum vero mutatur, cum proceres, a-
 gnative regis inter se sunt discordes, i-
 psive in Tyrannidem inclinant. Con-
 servatur vero Regnum quidem, si tem-
 peratè exerceatur imperium modicèque,
 ac communicatur cum aliis. Tyrannis
 vero vel crudelitate, si viri præstantes
 tollantur, notitia & fides mutua inter
 cives prohibetur, otium scholæque ab-
 rogantur, delatores foventur, omnes
 discordiis inter se committuntur, oneri-
 bus ad paupertatem rediguntur, bella
 non necessaria suscipiuntur, mulierum
 in viros imperia promoventur, mali at-
 tolluntur, ut sic cives fiant & humiles,
 &

XI.

& sibi mutuo diffidentes & infirmi. Vel calliditate & fraudibus, si regni boni simulatur species, cura reip. præ se fertur, pecunia non acerbe exiguntur, & in honestis collocantur rebus, aut si exiguntur, necessitas monstratur publica, gravitas non securitas ostentatur, popularitas colitur, contumeliis abstinetur, sobrietas servatur, ædificiis urbs excolitur, pietas simulatur, honores dantur bonis, unus non nimium evchitur, vel saltem non audax, vel repente de potentia quis dejicitur, divitum pauperumque juxta haberi videtur cura, ambæque partes conciliantur sibi. Quanquam nulla forma sit, quæ difficilius minusque quam Tyrannica possit conservari. Quod vero Socrates apud Platonem censet, fato solo fieri mutationes, id & generale nimis est, & falsum, quia si sic fierent, quæ cœperunt simul resp., simul quoque interirent. Sed nec circulus est perpetuus ex forma optima in Politiam, post Oligarchiam, tum Democratiam, postremo Tyrannidem: nec quæ sit Tyrannidis mutatio, aut in quam vertatur formam, ostenditur.

XII.

AR-

ARGUMENTUM LIB. VI.

Sexti libri partes præcipue sunt quatuor. Quarum Prima continet præcæm, Secunda de Populâ, Tertiâ de statu, qui Paucorum dicitur, atque utriusque constitutione agitur. Quartâ denique aliquot enumerantur Magistratus, hoc est, qui potissimum sunt necessarii. Atque hi describuntur.

- C. I. **Q**uo pacto singulæ conserventur Rerumpubl. formæ, demonstravimus. In universum istuc pertinet, ut prudenter & idoneè formentur leges, operaque detur, ut utilia unius formæ, adjungantur formæ alterius per ipsas, e. g. judicia, senatusque instituantur, ut in Oligarchia, magistratus vero ut in Aristocratia: vel populari statui leges admisceantur Oligarchicæ, Oligarchico populares, atque sic efficiatur, ut cives omnes habeant, quod justum esse putant. Cum eorum differentia sint variæ, quibus aliter vix potest satisfieri. Pertinebit vero huc, meminisse diligenter fines Rerumpubl. ut Democratia quidem esse libertatem, jus metiri suum æqualitate, & licentia vivendi, uti quisque velit, unde leges populares variæ circa creationem magistratum, senatus, judiciorum, sicut ante iudicatum est. Si enim institui libertas

bertas ista poterit, æqualitasque, ut cum
 duæ partes Civitatis sint in publicis con-
 siliis, id ratum habeatur, quod utrique
 visum, vel majori eorum parti, vel si
 censeant contraria, id, quod pluribus
 simulque censum habentibus majore-
 rem, si census plurium civium pauperumque
 conjunctorum à parte una, cum
 censu divitum pauperumque à parte
 altera comparentur. Fiatque hoc fa-
 cillime in Democratia optima, i. e. ea
 quæ ex agricolis, quia de negotiis sol-
 liciti propriis, alia non curant, contem-
 ptive sunt, modo sibi nihil eripiatur,
 aut si sint ambitiosi aliqui, facile com-
 pescentur per concessionem creandi
 magistratus, aut deliberandi de repub.
 cognoscendive acta magistratum.
 Qua concessione quoque optima eva-
 det, maximè si eligentur magistratus
 cum respectu aliquo ad censum.
 Neque alia est caussa, cur agricultura
 passim tanto in honore habeatur. In
 Democratia vero pessima eatenus, si
 augeatur plebs, ut sit major numero
 nobilibus & mediis, plusque possit, nec
 tamen plura ei permittantur, verum,
 quantum est possibile, reddantur omnia
 communia. In judiciis huc pertinebit,
 si bona damnatorum referantur non in
 ærarium

IV.

V.

- erarium publicum, sed sacrum, publica judicia raro quidem, at severe habeantur, primores cives ament remp. judicia, ubi inter pauperes, ut ipsi quoque agrum comparare, mercaturamve exercere valeant, ditiores alant
- VI. pauperes utendo opera eorum. Eadem & in Oligarchia, quamvis contrario modo, erunt observanda. Præcipue ut minores demandentur magistratus, quibus census minor, majores, quibus major, potiores ex plebe admittantur ad remp., dignitas & ordo diligenter observetur. Ad militiam quoque attendendum. nam ubi equites possunt esse plurimi, ibi ultima Oligarchiæ species accommodatior; ubi gravis armaturæ milites, media; ubi velites & nautæ, Democratia. Est & Oligarchicum, aditum dare plebi ad magistratus, magistratibus tamen majoribus sumtuosa munera injungere.
- VIII. Sunt enim plures varique magistratus fere in civitatibus, pro ratione loci, rerum, personarum & formarum. Omnes pertinent vel ad civilia, vel ad sacra. Illi sunt vel maximè necessarii, ut Prætores, qui res forenses & commercia moderantur. Ædiles, qui curant ædificia publica & privata, muros,

ros, aquæ ductus, vias, portus. Præfecti agrorum qui similia curant in agris & sylvis. Quæstores, qui ærarii, acceptorum item expensorumque habent rationem. Scribæ, qui tabulas publicas privatasque, acta senatus, sententias iudicum conficiunt & custodiunt. Præfecti pœnarum, quorum moderatione sumuntur pœnæ ac supplicia de condemnatis. Melius enim diversi à iudicibus constituuntur, quia minus sic invidiæ habebunt. Inspectores carceris & vinculorum publicorum. Minus necessarii, licet sæpe habeant auctoritatem ampliolem, Duces exercituum, & militiæ præfecti varii, pro militiæ diversitate. Censores, quomodo publicæ impendantur pecuniæ dispiciunt. Proconsules vel Consules, vel Senatus, quibus est potestas in magistratus reliquos & convocandi eos, & admonendi, si officii fuerint negligentiores. Qui ad sacra pertinent, sunt præfecti templorum, præfecti seu reges sacerorum. Sunt & magistratus aliqui certis tantum Civitatum formis necessarii, ut præfecti mulierum, Gymnasiorum, & id genus.

AR-

ARGUMENTUM LIB. VII.

Libri Septimi, quod ex ipso Philosopho probari potest, duæ sunt partes. Exordium, & ipsa doctrina tractatio. In Exordio tres potissimum tractantur quaestiones. Prima est, Quæ optima sit vita hominis, Secunda, Utrum eadem totius civitatis sit felicitas, quæ singulorum. Tertia, Utra præstet vita, quæ in actione, an quæ in contemplatione versatur. Pars Secunda rursus, partes & ipsa habet duas. Quarum Prior docet, quam ratione optima constituenda sit Respublica. Altera, de Educatione boni Civis agit; idque ab ipso conceptus tempore ad finem anni septimi.

- C. I. **C**um sit hætenus ostensum, quomodo institui conservarique debeant Respub. quarum formæ sunt frequentes, etiam de ea nunc tradamus, quam putamus optimam. Quæ ut intelligatur rectius, vitæ genus quod sit optimum, considerandum. Pater autem, vel ex Ethicis id esse, in quo concurrunt quidem fortunæ, corporis, animique bona, animi tamen eminent, cum ut omittamus causas alias, & cætera, sint propter ista bona, & ista cæteris utiliora. Unde sequitur optimam fore Civitatem, quæ abundet bonis hisce, abundaturam vero, cum in ea cives singuli sint optimi. Non enim aliter civitas est optima, quam si cives singuli sint optimi. Cum vero bona animi

animi virtutes sint, hæ autem vel in
 contemplando, vel agendo occupen-
 tur, fit; ut quidam illas solas præfe-
 rant, quasi solæ justæ sint, & liberis
 convenientes. quidam has quasi solæ
 sint negotiosæ, utilesque vitæ civili.
 Unde quoque bellicam virtutem po-
 puli plerique coluerunt, ut Lacedæmo-
 nii, Cretenses, Scythæ, Thraces, Cel-
 tæ, alii. Quanquam hæ revera esse
 nequeant, ad quas cuncta in Rep. refer-
 rantur, cum & bellum sæpe sit inju-
 stum, dominatio quoque iniqua, nisi
 in natura servos, & Respublica beata
 aliquando sine bellis. Unde licet vir-
 tus bellica non improbetur, iis tamen
 maximè necessaria, qui utuntur ea, ob
 vicinum bellicosum. Quod vero qui
 contemplativam vitam præferunt, he-
 rile ac dominicum existimant imperi-
 um quodcunque, errant, cum natura
 ipsa constituerit Civile etiam, ex ma-
 jori virtute agendi. Quemadmodum
 & adversarii eorum errant, quando
 contemplationem omnem putant otio-
 sam, cum sint actiones etiam internæ
 mentis externis istis meliores, quoniam
 & sufficientes sibi ipsis, & accommodatæ
 Rebuspub. etiam quæ solæ separatim ab
 aliis existunt, ipsi quoque DEO non in-
 conve-

III.

- convenientes sunt. Unde sequitur, utrasque requiri virtutes, animi tamen maximè. Ex bonis vero cæteris magnitudo Civitatis postulaturlusta potius, quam nimia, quia talis non utilior ad finem, sæpeque consistit in servis maximè ac inquilinis, & difficulter regitur, difficilius sufficientia sibi invenit, se ipsam malè novit denique. Justam dicimus, in qua copia ad vitam honestè degendam sufficiens.
- IV. Ager ferax rerum necessariorum, alere civitatem sufficiens, tutus & commodus, nec nimis sparsus.
- V. Mare non longe distitum. licet enim urbes maritimæ repleantur nautis, peregrinis, mercatoribus, qui corrumpunt mores, avaritiam quoque inducunt, mare tamen & securitatem præstat, & ubertatem; mala vero tolli possunt legibus idoneis, si mare usibus exerceatur propriis, mercatura non concedatur omnibus, navalis turba longius à vera civitate removeatur, eorumque multitudo temperetur.
- VI. Ingenia, licet alia sint Europæorum, alia Asiaticorum: inque gente una quædam contemplativa magis, quædam magis Practica; illa tamen optima, quæ & ingeniosa, & animosa, nec sæva tamen, nisi adversus eos, qui injuria afficiunt civitatem.

civitatem. Sunt & alia Civitati neces- VIII.
saria, non ut partes, sed ad finem ta-
men conducentia; ut alimenta, artes
manuariae, arma, pecunia, sacra, ju-
dicia, sine quibus Civitas non potest es-
se beata. Licet autem hae sint neces-

saria, non tamen cives quoque atque IX.
partes civitatis omnes esse possunt, qui
exercent illa, vel qui cives sunt & par-
tes civitatis, omnia illa exercere. Sic

in optima Repub. in qua virtus maximè
respicitur, nec opifices, nec mercatores,
nec coloni verè cives, verum soli mili-
tes, senatores, iudices, sacerdotes. Quo-

rum munia in ea erunt omnibus commu-
nia, distincta tantum per aetates, sic ut
milites sint in juventute, senatores in
adultiori, sacerdotes in senili aetate.

Qui quia proprie ibi erunt cives, igitur & X.
opes, & agri civitatis ad ipsos pertinebunt.

Ita factum apud Aegyptios & Cretenses.
Vivent etiam ex publico per concœna-

tiones, sicut in Italia quondam. Quo
requiretur, ut ager omnis dividatur in
privatum & publicum, hic adhibea-

tur in usus vel sacrorum, vel concœ-
nationum. Privatus vero sic distribu-
atur, ut quisque partem habeat pro-
pinquam urbi unam, aliam longin-
quam. Coloni agri sint vel servi, vel

D

nationum

- nationum diversarum barbari, in privato privati, in publico publici, iique spe ac præmio libertatis ad frugem compellentur. Situs urbis sit salubris, opportunus ad pacis bellique negotia, frequens & abundans aquis, & ad potum, & ad usus alios. Arx una utilis Monarchiæ, Oligarchiæque, plures loci natura firmi, Aristocratæ, planities Democratæ. Series domorum & plateæ in præcipuis imisque partibus sint rectæ, in extremis turbatæ. Muris quoque cincta esse potest, quia & ornant & defendunt civitatem, virtutem vero civium non impediunt, sed augment. Requiritur & templa, & concœnationum ædes, & in propinquo fora deambulationibus, judiciisque servientia, & junctæ his Gymnasia seniorum, alibique juvenum, corporis exercitiis destinata, forum denique rerum venalium. In his ergo sita est beatitudo Civitatis, maximè vero in virtute, quæ cum ex suppositione sic dicatur, cum pœnarum observatur metu, quod honestum, vel per se, cum sponte ad ipsius normam vivitur, hæc sola est quæ præstat eam vere beatam. Cæterum ut virtus acquiratur, tria necessaria, XIV. natura, exercitatio & ratio. In natura spectatur,

spectatur, ut talem cives habeant, quæ sit apta & ad imperandum & ad parendum; Ut enim hoc fiat, & per vi- ces fiat, necesse est, propter paucita- tem magnopere ante alios præstan- tium, æqualitatem, quæ habetur ma- ximè justa, securitatem, ætatum dissi- militudinem, disciplinæque ejusdem ne- cessitatem. In exercitatione, ut assue- scant cives superiora dispicere, ac ad ea dirigere inferiora, necessaria ad uti- lia, hæc ad honesta, actiones ad con- templationes, negotia ad otia, bellum ad pacem, de qua postrema re jam in superioribus est dictum. Virtutes XV. porro cum sint aliæ negociosæ, aliæ oc- iosæ, aliæ medii generis, illæ fortitu- do patientiaque, hæc sapientia, me- dia temperantia & Justitia, cuncta esse ad ociosam referenda manifestum est. Quæ ut haberi possint, ante omnia opera impendenda, ut natura rectè sese habeat, quod fieri vix potest, nisi gene- ratio recte fuerit, ad quod certa postu- latur ratio matrimoniorum. Hujus est XVI. primo atas congrua, ne pars alterutra sit inepta, vel liberi parentibus decrepitis opem ferre nequeant, vel nimis juve- nes contemnant. Censetur autem ea in viris annus 37, in fæminis 18. De-

inde tempus consociationis, quod putatur optimum hybernium. Tertio partus, qui aut integer esse debet, aut exponi. Et quia raro integer & validus ex senibus, post annum 55 à procreatione liberorum viri abstinere debent; cuncta quoque adulteria severè prohibenda. **XVII.** In educatione partus danda opera, ut sit justum alimentum, quale est ex lacte; ut motus frequens, ut locus habitationis frigidior, ut otium ad annum quintum necessarium, nisi quod fabellæ memorari possint, absque tamen obscœnitate, quæ in picturis etiam & statuis cavenda. Inde spectent alios discentes ad annum septimum. Post serio informentur ad annum vigesimum & primum, licet aliter ante, aliter post pubertatem.

ARGUMENTUM LIB. VIII.

Octavus liber est continuatio superioris. Quippe, ut ibi, de puerorum, usque ad septimum ætatis annum, educatione; ita hic de institutione Adolescentium usque ad vigesimum & primum, agitur. Partes libri præcipuæ sunt duæ. Quarum Prior publice instituendos esse docet. Secunda, qualis esse disciplina debeat, ostendit. In qua, cum nonnullas alias requirat, potissimum tamen, primo de Gymnastica, secundo agitur de Musica.

Est autem informatio eligenda publica,

publica, quia partes Reipub. sunt liberi, ut neglectio eorum ad Rempub. pertineat, & conformes esse debent statui suae Civitatis. Itaque & virtutes illae ipsis maximè instillandae, quae formae Reip. maximè conveniunt. In cæteris observandum, ut discant maximè & necessaria, & ingenua, & ad negotia Civitatis maximè conducentia, nec eorum quidquam referat ad lucrum.

Talia initio sunt quatuor, Grammatica, Pictoria, Gymnastica, & Musica. Ex his Musica pertinet ad ocium liberale. Pictoria partim ad ocium, & contemplationem rerum pulchritudinis, partim ad negotium, cujus generis est & Grammatica. Gymnastica denique ad negotium. Gymnasticæ tradendus puer ad comparandam bonam corporis habitudinem, non feritatem, quod Spartani fecere. Musica, ad oblectationem ocii, quia cum hoc necessarium, voluptas dari honestior vix potest. Imo exercitium virtutum moralium quoque, atque animi tranquillitatem, quoniam & mores mutat, & harmonia sua animum componit. Debent autem pueri eam ipsam discere, ut de ea senes possint

II.

III.

IV.

V.

VI.

D 3

judicare,

judicare, cum præsertim nequeant quiescere. Eo autem usque discere, non ut placeant aliis, sed honestè sese possint oblectare. Itaque animo ab artis ostentatione maximè in publicis certaminibus debent abstinere. Sed cum Musica & melodia sint vel Ethicæ, vel Enthusiasticæ, illas discat, has audiat aliquando puer. Cumque harmonia Doria præcipuè huc faciat, illam liquet esse præferendam. Atque hæc hactenus Aristotelica supersunt. Cætera pulcherrimi operis magno cum eruditorum dolore, eruditio- nisque detrimento periere.



JOANNIS SCHEFFERI

ARGENTORATENSIS,

De Studiis, in Philosophia Practica &
Historia universa, rectè instituendis.

IN disciplinis omnibus discendis, duo valde necessaria observatu, primum ne intilibus teramus tempus, quandoquidem *vita brevis*, ut aiebat ille, *ars longa*; deinde ne utilia quoq; indiscriminatim ac sine ordine tractemus.

Prius, ut cum fructu faciamus, duo iterum attendenda sunt, primo ut dispiciamus, quæ per se usum aliquè afferre possint, quæ non possint. Sunt enim in omnibus fere disciplinis aliqua inania, vitæq; (cui soli discendū, & ad quam accommodanda omnia) nihil profutura: deinde quæ utilia esse possint nobis; quandoquidem non eadem omnibus eodem modo necessaria.

Ad alterum requiritur, ut consideremus bene, quid primo, quid secundo loco legi, disci que à nobis debeat: ne si hic præposterè quid fiat, vel difficultas cœpti nos absterreat ab egregio proposito, vel varietas obruat, vel immutatio fera quidem, sed tamen necessaria fatiget.

Cæterum de prima parte unicuique pro se cogitandum est; juvabit autem hic respexisse ad genus vitæ, quod sibi quisque eligit.

git. Eligere profecto debet in tempore, ad ætatem, ad subsidia studiorum, quæ pro ut ampliora sunt vel angustiora, sic amplius aut angustius spacium in omnibus pro se cuique præscribunt ingrediendum.

In secunda parte nemo prope est, qui non per se videat, à facilioribus faciendum initium, & ad difficiliora procedendum, cum hoc svadeat intellectus, nullo adhuc exercitio confirmatus & iudicium per ætatem imbecillum ac rude: quæ si ad graviora statim adhibentur, non modo absque successu laborant, sed ipsa difficultate negotii, in quo versantur, retusa hebescent.

Porro faciliora ego quidem in omnibus existimo ea, quæ disciplinam nobis aliquam ruditer, ac per summa quædam lineamenta proponunt, ut indolem naturamque ejus uno veluti intuitu contueri liceat. Qualia sunt quæ vulgo *Compendia* appellantur. Unde mea sententia rectissime initium ab ipsis in quocunque genere disciplinarum desumitur.

A Compendiis veniendum ad eos, qui fundamenta in singulis explicant accuratius, eaque omnia tollunt, quæ in ipsis vel difficultate obscura, vel ambiguitate dubia & infirma videntur.

Tum demum consulendi illi, qui singulas in ipsis partes expoliunt, ut ita perfectam earum cognitionem impetremus.

Si quis igitur à nobis quærit, unde ce-
 feamus in Practicis faciendum esse initium,
 absque ambiguitate ulla dicemus ab *Ethicis*,
 ut quæ Generalia Philosophiæ ejus tradunt fun-
 damenta, & in iis à Compendio quodam,
 quod summa disciplinæ ejus capita facillime
 ac maximè perspicue proponat. Compen-
 dium porro nullum hic existimamus facilius
 aut evidentius illo *Burgersdicii*, quod in omni-
 um versatur manibus. Quanquam parum in-
 teresse videatur, sive hoc, sive alio utamur,
 modo tali, quod cum doctrina Aristotelis con-
 veniat, à quo in Practicis non temere rece-
 dendum putamus.

Burgersdicio cum expositionis alicujus
 luminisque causa, tum quia quædam minus
 commode proponit, conjungendus est *Horne-
 jius*, legendaque quæ in *Ethicis Majoribus* ab
 eo docentur, si non omnia, ea certè, quæ
 extant Lib. I. cap. 3. & 8. Lib. II. cap. 2. 3.
 5. Lib. III. cap. 4. 11. 12. 13. Lib. IV. cap.
 3. & 4.

Post *Hornejum* ipse consulendus *Aristo-
 oteles* videtur, sicut eum Paraphrasi illustravit
Andronicus Rhodius, ut eum vulgo vocant,
 qui solus instar omnium commentariorum,
 esse potest.

Cognita sic disciplinæ hujus summa, ve-
 niendum ad illius partes, primumque eam,
 quæ est *de Fine*, quam existimo rectissime disci
 ex

ex *Ciceronis* libris de *Finibus & questionum Tusculanarum* libro quinto. Addendæ *Senecæ* *Epistola* 74. 76. 87. 92. item liber de *Vita beata*, & alius de *Tranquillitate animi*, cui conjungendus Liber *Plutarchi* ejusdem argumenti.

Sequitur pars alia, quæ agit de *Affectibus eorumque coërcitione*. In hac initium faciendum à libello *Plutarchi*, cui titulus *corporis ne, an animi affectiones sint pejores*. Subjungendus deinde Liber *Primus*, *Secundus*, *Tertius*, *Quartus questionum Tusculanarum Ciceronis*. Postea *Epistola Senecæ selectiores* conjungendæ, quales 4. 24. 26. 30. 54. 77. 78.

Postea legendi qui scripserunt de *Virtutibus ac Vitiis*, ubi forte non incommode quis inciperet à libello *Aristotelis* de hac materia, item *Plutarchi* de *Vitio & Virtute*, cui adjungendus alius ejusdem libellus de *Virtute morali*. Posset postea non incommode subjici *Ciceronis* Liber primus de *Officiis*. De *Fortitudine ac Constantia* legendus *Seneca* libro de *Constantia*, ejusdemque *Epistolæ* supra laudatæ. Addendi etiam Tres ejus libri *Consolationum & Oratio Philischi* apud *Dionem* lib. xxxviii. De *Temperantia & adversus Luxum* insignes ejusdem sunt *Epistolæ* 60. 86. 122. De *Moderatione Ira* idem legendus est, ut & *Plutarchus* in peculiaribus de *Ira* libris. De *Liberalitate ac Beneficentia* quoque insignes celebresque sunt *Senecæ* libri de *Beneficiis*.

Contra

Contra *Avaritiam* eleganter scripsit *Plutarchus* libro de *Cupiditate divitiarum*. De *Amicitia* habemus *Ciceronem*, vel solum hic commendandum. De *Iustitia & Jure* rectissime puto legendum initio librum primum *Ciceronis* de *Legibus*. Subjungi debet *Thomas Aquinas* in quaestionibus hoc Titulo. Mox addi posse videntur *Regulæ Juris* ex *Codice Legum Romanarum*.

His ita absolutis liberum erit vagari per genus omne eorum, qui de talibus scripserunt. Quales sunt *Epictetus* cum commentario duplici *Simplicii & Arriani*, *Antonini Liberalis*, *Hieroclis*, Aurea carmina *Pythagoræ*, *Theophrasti* *Characteres Ethici* cum commentario *Casauboni*, *Juvenalis*, *Persius* cum commentariis *Casauboni*. *Valerius Maximus*, *Sabellici* *Exempla*, *Sarisberjensis* de *Nugis Curialium*, *Boëtius* de *Consolatione Philosophiæ*, &c.

In *Politicis* non alia est ratio. Præmittendum ante omnia disciplinæ ejus *Compendium*, qualecunque denique, modo *Aristotelis* vestigia sequatur. Nec inutile erit huic proposito nostrum *Breviarium*, vel *Disputationes Politicæ* *Micralii*.

Compendio isti subjungendus ipse *Aristoteles*, cum *Paraphrasi Heiniana*, quæ est instar omnium commentariorum. Si quem tamen legere placet *Commentatorem*, aliis *Piccartum* prætulerim & *Acciajolum*.

Postea

Postea veniendum ad singula, primum vetera, qualia sunt *Plutarchi* præcepta de *Republica*, *Sallustii* Epistolæ ad *Cæsarem* de *Republica ordinanda*, *Dionis Cassii* Orationes Duæ, una *Mecenatis*, altera *Agrippæ* de *Monarchia & Aristocratia* Lib. LI. Oratio *Romuli* apud *Dionys. Halicarn.* Lib. II. *Plutarchus* de *Monarchia Aristocr.* Oratio *Otanis* apud *Herodotum* Lib. III. *Isocrates* ad *Nicoclem*, *Agapetus* de officio *Principis*, *Panegyricus Plinii Secundi*, *Panegyricus Pacati*, *Claudianus* de tertio & quarto *Consulatu Honorii*, *Taciti* vita *Agricolæ*, cum notis *Virdungi & Berneggeri*, *Ejusdem* digressio de *Loge Majestatis*, *Annal.* I. c. 32. cui jungenda Oratio *Amyntæ* apud *Curium* Lib. VII. c. 1. alia De *Legibus* *Annal.* III. c. 24. alia de *Statu Reipub. Romanæ*, *Annal.* IV. cap. 4. & *Hist.* I. cap. 4. Cui addenda digressio *Sallustii* in bello *Catilin.* & *Polybii* Lib. VI. Oratio *Livis* ad *Augustum* de *Clementia etiam inimicis exhibenda* apud *Dionem* Lib. LV. Oratio *Cæsaris & Cæronis* apud *Sallustium* Bello *Catilin.* alia *Memmi* conera *Nobilitatem*, & *Marii* ejusdem argumenti apud eum in bello *Jugurthino*. Quibus addenda Oratio *Lepidi* in *Historici* ejus fragmentis, item *Consulum & Canulei* apud *Livium* Lib. IV. cap. 1. & *Appii* apud eundem Lib. V. cap. 3. & *Manlii* Lib. VI. cap. 18. Oratio *Q. Fabii* ad *Æmilium* de *cantiane veri Ducis*, apud

apud eundem Lib. XXII. cap. 39. Item e-
 jusdem cum responsione *Scipionis* apud ipsum
 Lib. xxviii. cap. 40. & *Annibalis Scipionisque*
 Lib. xxx. cap. 30. Oratio *Catonis*, cum re-
 sponse *Valerii de Luxu*, apud eundem Lib.
 xxxiv. cap. 1. Cui addenda digressio *Taciti*,
 cum Epistola *Tiberii* de hoc argumento, An-
 nal. III. cap. 53. Oratio *Scytharum* apud *Cur-
 tium* Lib. VII. cap. 8. de *Moderatione animi*
post successus rerum prosperos, & huiusmodi. Ex
 Recentioribus vero occurrunt primum illi, qui
 in *Tacitum* scripserunt, *Scipio Ammiratus*, *Gr-
 uter*, *Forstnerus*, *Bœclerus*. De *ratione Status*
Boterus & *Septalius*. De *Arcanis Rerumpubl.*
Clapmarius. De *Majestate Gothofredus* in Com-
 ment. ad legem *quisquil*. De *auspicio Regio*
Bœclerus. De *Principe Raccabella*. De *Consilia-
 rio Zinarus* & *Ceriolanus*. De *Legato Paschalius*
 & *Marselaer*. De *Aulico* & *Nobili Hippolitus* à
Collibus. De *Senatore Laurentius Grimaldus*. De
Cive Platina. De *conversatione mutua Stephanus*
Guazzi legendi.

His vel omnibus, vel præcipuis, præ-
 fertim veteribus cum cura lectis, vellem sub-
 jungi *Lipsi Politica*, ut quatenus illa vetera
 ad usum temporum nostrorum debeant ac-
 commodari, perspiciatur. Sed ea non vul-
 gari modo essent tractanda, verum cura sin-
 gulari, additis singulorum Autorum, quos
 adducit locis, iisque examinatis, cum diligen-
 tia,

gentia, notatisque observationibus liberioribus, quæ ex illis fluunt.

Postea liberum esset vagari per genus omne *Historicorum & Politicorum* veterum & recentium. Ex quibus ante alios eminent, inter veteres quidem *Plato* libris *de Repub. & Legibus*, *Xenophontis Agesilaus*, itemque *Respubl. Atheniensium & Lacedamoniorum*, *Polybius* totus, & *Dio Cassus*, scriptores maximè *Politici*, *Tacitus*, *Vellejus*, *Epistola Ciceronis ad Atticum*. Ex Recentioribus vero *Secellii Respubl. Gallorum*, *Cominaus*, *Bodinus*, *Barclaji Argenis*, *Heinsii laus Asini*, *Strada de Bello Belgico*, *Symbola SAVEDRA*, *Berneggeri Tuba pacis*, *Paruta*, *Mercurius Victorii Sirii*, *Gramondus &c.*

Machiavelli, *Campanella* & similium scripta, omnium postremo censeo legenda, ne infirmum adhuc iudicium in errores aliquos labatur.

Porro utile est, nec utile tantum, verum etiam necessarium prædictis addi *Jura præsertim Gentium ac Naturæ*, sicut tradita sunt à *Grotio*, publicaquæ gentis Germaniæ *Limnia*. Subjungi posse videntur *Respubl.* ut ab *Elzeviriiis* sunt editæ, illæ præsertim, quæ nobis vicinæ, quales *Dania*, *Polonia*, *Belgii*, *Gallia*, *Britannia*. De *Belgio* peculiari ratione scripsit *Schockius*, quod notandum.

In *Historia* initium faciendum à *Rebus Patria*, iisque quæ vel nostra ætate, vel proximè

mè ante illam sunt gestæ, postquam universam ex Compendio aliquo contemplati sumus. Svaderem autem in universali Historia initium fieri à primis Tabellis *Sceletio Historia Jonstoni* præmissis, quibus seriem rerum omnium per faciles Temporum characteres designat. His bene memoriæ mandatis, subjungendum *Peta-vii Compendium* Rationario ejus additum, videtur. Postea statim, ut dixi, veniendum ad Historiam Patriam, ubi primum occurrunt *res Gustavi in Germania & Polonia gestæ*. Illæ vel ex *Chemnizio*, vel si longior videtur, ex *Bracelio*, aut *Anonymi Epitome* haberi possunt. Has optimè consignavit *Piascius* in Chronico. *Res Caroli & Erici* quodammodo hauriendæ ex Chronico *Chytræi*, nam perfecte à nemine adhuc traditæ, quod sciam. Postea legenda *Historia Sveo-Gothica* mei socii *Io. Loccenii*. Et si cui otium est, *Ericus Upsaliensis*, vetustissimaque *Procopii, Jornandis & aliorum*, quam uno volumine editam à *Grotio* habemus. Post ad *Historiam gentium vicinarum* veniendum, ut *Polonicam, Piascii, & Belgicam Strada*, quos jam ante nominavimus. Addi potest *Belgica Historia Reidani*. In *Gallica* etiam *Grammondo*, quem supra nominavi, addendus est *Thuanus*. In *Anglicana Cambdenus*.

Absoluta nostrorum temporum Historia, eaque quæ maxime pertinet ad cognitionem Patriæ, revertendum iterum *ad veterem*, eamq; propter

propter singularia exempla, elegantiamq; scriptio-
nis, *Romanam*. Hic initium fieri vellem
ab *Entropio*, mox subjungendus *Florus* videtur,
& tum *Livius*, cum supplementis *Freinsheimii*
omnium librorum qui amissi sunt. Post seque-
tur *Svetonius*, tum *Spartianus*, *Capitolinus*, *Lam-
pridius*, *Gallicanus*, *Pollio*, *Vopiscus*, qui omnes
uno volumine contineri solent.

Cui placebit ire longius in *Historia profana*,
is poterit pergere ad *Historiam Assyriorum*, *Per-
sarum*, *Græcorum*, & generalem ejus capere gu-
stum ex *Justino*, postea addere *Herodotum* & *Dio-
dorum Siculum*; & si specialiora placent (nam
Diodorus Compendio refert) interserere *Thu-
cydidem* & *Xenophontem*, mox subungere *Corne-
lium Nepotem*, & *Curtium*, itemque *Appianum*,
Alexandrinum.

His isto modo confectis, venire poterimus
ad *quarumcunq; Gentium Historiam* paulo vetusti-
orem, ut *Danorum*, quam ex *Saxone*, *Norvægorum*,
quam ex *Snorrone Sturlesonio*, *Belgarum*, quam
ex *Bartando Meterrano*, *Doufa*, *Grozio*, *Anglorum*,
quam ex rerum Anglicarum scriptoribus, uno
volumine editis, sicut & *Gallorum*, *Germano-
rum*, *Polonorum*, ex cujusque gentis scriptori-
bus sub titulis hujusmodi editis, haurire pote-
rimus. Qui hoc fecerit, ei nihil fere deerit
in *Historia profana*, poteritque postmodo ad-
dere quotidie, quos instituto suo maxime
conducibiles intelliget.

In *sacra Historia* initium faciendum à *Sulpitio Severo*. Huic subjungi vellem *Skeleton Historiæ Ecclesiasticæ Jonstoni* & mox *Historiam Ecclesiasticam Pappi*, postea *svaderem*, ut procederetur ad notabilem mutationem *Lutheri in negotio religionis*, quæ discenda ex *Sleidano*. Huic addenda *Historia Ecclesiastica Bazii*, subjungendus postea *Olaus Magnus de Episcopis Upsaliensibus*. Et hæc quidem omnibus noscenda videntur. At cui ratio instituti vitæque svadet longius progredi, is poterit primum reverti ad *Josephum*, eique mox addere *Historiæ Ecclesiasticæ scriptores uno editos volumine, Eusebium videlicet, Socratem, Theodoretum, Evagrium*. His subjungere *Centuriatores Magdeburgenses, & Baronii Annales*, vel ipsorum *Epitomen* si nimii videntur. Postea veniendum ad magis singularia, ubi non incommode initium fiet ab *Historia Pontificum Romanorum Platine*, cum continuatione *Onuphrii Panvini*. Post subjungi possunt *Historia Ecclesiastica singularum gentium*, ut *Anglorum Bedæ, Hamburgensium & Bremensium Adami Bremensis & aliorum*. Tum consulendi illi, qui *de vitis & sectis Hæreticorum* egerunt. Addenda etiam *Concilia*, ut ad intimiorem rerum sacrarum intellectum perveniatur.

JOANNIS SCHEFFERI
ARGENTORATENSIS,

Brevior methodus in studio Philosophiæ
practicæ, Historiarum, Eloquentiæ seu Styli.

AD meliorem in studiis humanitatis succes-
sum *tria* videntur maxime necessaria, *Phi-
losophiæ accuratior cognitio, notitia Historiarum &
facultas styli.* Ut Philosophiam, præsertim Pra-
cticam recte discamus, opus est ab initio, quo-
dam Compendio, ex quo generalia ejus præce-
pta, omniumque partium inter se connexio-
nem discamus. Tale esse potest *Burgersdicii
Compendium.* Sed quoniam ibi nonnulla bre-
vius, sunt proposita, quam ut exacte possimus om-
nia fundamenta cognoscere, vellem ex *Hor-
neji Ethicis majoribus* subungi ea, quæ ipse habet,
toto illo libro, quo agit *de Principiis Humanarum
actionum,* item quæ disputat *de Justitia & Jure.*
Huic statim subjungendi videntur *Ciceronis libri
de Finibus,* item *Questionum Tusculanarum Lib. 5.*
quibus in locis ostenditur, & quid veteres de
summo bono statuerint, & quæ maxime ido-
nea de eo sit sententia: illa nempe quæ virtu-
tem præfert rebus cæteris. De cuius virtutis
honestatisque præstantia deinde legendus est
Seneca Ep. 74. 76. 87. 92. item duobus libris *de
Tranquillitate Animi & Vita Beata.* Sed quoniã
duo fere a præclaris actionibus impediunt, Do-
lor

lor & Metus, itaque adversus talia disputans, legendus est Cicero, *Tusculana prima*, Seneca Epist. 4. 24. 26. 30. 54. 77. 78. item Epist. 60. 86. 122. quibus contra alterum impedimentum, Voluptatem nempe & Luxum disputat. His jam subungi potest Epictetus totus cum *Simplicii* commentariis, Antoninus Liberalis. Exempla Sabellici, ac tum demum Cicero de officiis, Thomas de *Iustitia & Jure*, titulus Juris de Regulis Juris, cum commentario Ravardi vel Hotomanni, vel alterius idonei Jurisconf. & ultimo loco *Grotius de Jure Belli & Pacis*.

In Politicis optimum fuerit auspicari ab ipso Aristotele, & primum ipsum discere intelligere ex *Paraphrasi Heinsiana*, mox addere commentarium Acciajoli & Piccarti, tum velut complementum subungere *Lipsii Politicam*, eorumque verum intellectum, ex ipsis auctoribus quos adducit, petere.

In Historia initium faciendum à *Jonstano*, cui adjungendum *Petavii Notionarium temporum*; mox subjienda, si otium & tempus patitur, *Cluverii Historia Universalis*. Post veniendum statim ad *Historiam Patriam* recentissimorum temporum, initiumque sumi potest ab *Anonimo* quodam, qui scripsit *Epitomen rerum Germanicarum*; mox addi debet *Chearnitii Historia*. Deinde, *Chronicon Piasecii*. Huic subdi *Loccenii Historia* potest, item *Strada de Bello Belgico*, postea licitum erit & utile ire ad quodvis genus Histori-

corum, capiendo semper eos, qui res nostris, aut proximis à nostris temporibus gestas scribunt, & earum gentium res scripserunt, cum quibus nobis est plurimum negotii, ut *Danorum, Polonorum, Muscovitarum* &c. Ad *Historiam veterem* quod attinet, etiamsi & illa Historiæ causa legi debeat & possit: prodest tamen aliquando magis quam recentior, & ad stylum & ad prudentiam politicam: quo fine initium ejus legendæ fieri possit à *Curtio*; huic adjungendus videtur *Suetonius*, isti *Vellejus Paterculus*, illi *Florus*, tum optime sequi videtur *Sallustius*, postremo *Tacitus*. Ordo hic à nobis traditus, magis in respectu ad stylum, quam multitudinem gravitatemq; sententiarum, & pondus judiciorum, quam seriem Historiæ, in cujus respectu primo loco post *Curtium* ponendus est *Florus*, huic subjiciendus *Sallustius*, tum *Vellejus*, postea *Tacitus*, ac denique *Suetonius*.

Quod alias ad stylum attinet, ante omnia *Curtius* sequendus videtur, quem non sufficit semel legisse, sed quotidiana curâ imitationeque in succum & sanguinem convertendus est. Quod si hoc modo lectionem instituerimus, tum liberum erit ad omne genus scriptorum accurrere, & quicquid instituto nostro utile videtur, inde excerptum.

INDEX AUCTORUM,
 QUI IN PRÆMISSIS OPUSCULIS
 ALLEGANTUR.


<i>Acciajulus</i>	<i>Centuriatores Magdeb.</i>
<i>Adamus Bremensis</i>	<i>Ceriolanus</i>
<i>Agapetus</i>	<i>Chemnizius</i>
<i>Andronicus Rhodius</i>	<i>Chytraus</i>
<i>Antoninus Liberalis</i>	<i>Cicero</i>
<i>Appianus Alexandrinus</i>	<i>Clapmarius</i>
<i>Aristoteles</i>	<i>Claudianus</i>
<i>Arrianus</i>	<i>Cluverius</i>
<i>Barclajus</i>	<i>Cominaus</i>
<i>Barlandus Meterranus</i>	<i>Cornelius Nepos</i>
<i>Baronius</i>	<i>Dio Cassius</i>
<i>Bazius</i>	<i>Diod. Siculus</i>
<i>Beda</i>	<i>Dionys. Halicarnass.</i>
<i>Bæclerus</i>	<i>Doufa</i>
<i>Berneggerus</i>	<i>Epictetus</i>
<i>Bodinus</i>	<i>Ericus Upsaliensis</i>
<i>Boëtius</i>	<i>Evagrius</i>
<i>Boterus</i>	<i>Eusebius</i>
<i>Bracelius</i>	<i>Eutropius</i>
<i>Burgersdicius</i>	<i>Florus</i>
<i>Cambdenus</i>	<i>Forstnerus</i>
<i>Campanella</i>	<i>Freinshemius</i>
<i>Casaubonus</i>	<i>Gallicanus</i>
<i>Capitolinus</i>	<i>Gothofredus</i>
<i>Cato</i>	<i>Gramondus</i>


Grotius	Piasecius
Gruterus	Pollio
Heinsius	Pappus
Herodotus	Platina
Hiorocles	Piccarrus
Hippolitus a Collibus	Petavius
Hornejus	Plutarchus
Hotomannus	Philisci oratio apud Dion.
Jonstonus	Pythagoras
Josephus	Persius
Isocrates ad Nicocl.	Plinius II.
Justinus	Pacati Orat.
Juvenalis	Q. Fabius
Lampridius	Ravardus
Laur. Grimaldus	Raccabella
Lepidus	Reidanus
Linneus	Scipio Ammiratus
Lipsius	Saxo Grammaticus
Livius	Seneca
Loccenius	Steph. Guazzius
Machiavellus	Sepralius
Marselaer	Socrates
Micraelius	Sleidanus
Olaus Magnus	Simplicius
Onuphrius Panvinius	Spartianus
Plato	Snorre Sturlason
Polybius	Sabellicus
Paruta	Sarisberjensis
Paschalius	Schockius
Petavius	Socellii Resp.


Pia-


[Sveto-

*Svetonius**Strada**Savedra**Tacitus**Tbuanus**Thucydides**Theodoretus**Thomas Aquinas**Theophrastus**Vellejus**Vittorius Sirus**Vopiscus**Valerius Maximus**Vir dungus**Xenophon**Zinarus*











www.books2ebooks.eu